AD LIBRUM

Illuſtriſſimi Domini Domini Joannis Weichardi Valvaſor, Liberi Baronis, Inclyti Ducatus Carnioliæ, partis inferioris Peditum Capitanei, &c. &c.

Forſan, & abs dubio, non gratus habebere multis,
Pro ſaltante ſtruens Morte theatra, liber.
Demonſtrans variumq; genus, quod cogit ad umbras:
Et quòd pro culpa crux ſua quemque manet.
Cùm jam rara nimis certæ ſit mentio mortis:
Rara inter juvenes, rara profectò ſenes.
Raró quis varios caſſus conſiderat: omnis
Quos, dum vitaret, plùs reperire ſtudet.
Et quis de pœnis damnari cogitat orci?
Fabula cum pœnis creditur ille ſuis.
Quæ tamen ad vitam natum quemcunque ſequuntur:
Hora ſed incerta eſt, poſt quoque fata locus.
Hoc tuus agnovit ſcrutatus ſæpiùs author:
Et ſe mortalem præſciit eſſe virum
Præſciit in mundo nihil vnâ certius eſſe
Morte: ea nam genito certa cuique venit.
Incertum tamen eſt qualis, quandoque futura eſt:
Hoc timet adque illam ſe vigilando parat.
Diverſas credit pariter pro crimine pænas,
Poſt ſua mortales in ſtyge fata pati.
Haſce timere docet, docet evitareque pœnas:
Vitato à pænis crimine liber eris.
Nam bene viventes manet ut poſt gloria mortem:
Sic malè viventes pœnaque cruxque manet.

Nil ergò timeas odium, nil torva malorum
Lumina, nil timeas aſpera verba liber:
Complacere bonis modò poſſis: ſpero placebis:
Verita dum placeat, tu quia vera doces·
Sic ſemel (id poſſes exempli dicere cauſa)
Eſt hominem verſus Mors mihi viſa loqui.

PAULUS RITTER, *Nobilis Segnienſis.*

Horribil terr duriſſ ſpicu Mort
is ent ima la is.
Milit pend int ſæc me
Obii quamv quæv munim vin
cio is is ina cor.
Offi : fort (ſc) Libit vo
Mæſtit gener , triſtes cruen dolor
iam as que ta es.
Reſpic null per miſer prec
Omn ſumpt , ced ſphæ di
ia uræ it tibi ra ei.
Sobr vent ſ cu m

qVæLIbet aD saLtVs VenIVnt VItaLIa MortIs,
saLtabIs genItVs se DVCe qVIsqVIs hVMI.